

Y, 18.

4, 567.

M

EPISTOLAE PAVLI  
AD  
PHILIPPENSES

EX  
RECENSIONE GRIESBACHII SVMMÆ  
VENERABILIS, NOVA VERSIONE LATINA  
ET ANNOTATIONE PERPETVA  
ILLVSTRANDÆ,  
SPECIMEN EDIDIT

---

VIRO  
MAGNIFICO AC SVMMÆ VENERABILI,  
CAROLO CHRISTIANO  
TITTMANNO,

THEOLOGIAE ET SACRARVM LITTERARVM DOCTORI,  
ET ADHVC RERVVM SACRARVM IN VRBE ET DIOECESI  
VITEMBERGENSI ANTISTITI SVMMO, CONSISTORII, QVOD  
IBIDEM EST, ASSESSORI, THEOLOGIAE PROFESSORI  
PRIMARIO, ORDINIS THEOLOGICI SENIORI,

MVNERA  
ANTISTITIS REI PVBLICAE SACRAE IN DIOECESI DRES-  
DENSI, PASTORIS AD S. CRVC. AED. SENATVS  
ECCLESIASTICI ET CONSISTORII SVPREMI  
ASSESSORIS CAPESSITA

GRATVLATVS  
M. IOANNES GOTTFRIED AM ENDE,  
PASTOR ET SVPERINTENDENS APVD LIERENWERDENSES.

---

TORGAVIAE,  
LITTERIS KVRZII  
CICIDCCLXXXVIII.

II.



EPISTOLAE PAULI  
AD  
PHILIPPENSES

REVISIONE CRIMINALI  
VEREORUM NOVORUM  
ET ANNOTATIONE THEOPHILI  
LEIPZIGENSIS  
SPECIMEN ERIGIT

VIRI  
MAGISTRO CAROLO CHRISTIANO  
TITTMANN

THEOPHILUS ET SEVERUS  
ET ALII  
AD CAROLUM CHRISTIANUM  
TITTMANNUM  
MAGISTRO CAROLO CHRISTIANO  
TITTMANN

ORATIONES  
M. JOHANNIS COLLEGIUM  
LITTEAE XXXII



VIR MAGNIFICE AC SVMME VENERABILIS,  
PATRONE OPTIME MAXIME,

**E**odem fere tempore, quo graviora,  
quibus Electoris Principis gratia  
insignis me ornaverat, munera capeffi-  
tum Voigtsdorfio, pago patrio, huc  
abiturus eram, nuntius de repentina  
REHKOPFII nostri morte ad me perlatus  
animum sic affecit, ut ipsum vix colligere  
possem. Aliquot enim hebdomadibus  
ante vir ille honoribus meritisque incli-  
tus in colloquio theologico, solempni ri-  
tu mecum habito, tantam animi alacri-  
tatem ostendisse mihi visus erat, quan-  
tam quisque firmioris valetudinis testem  
locupletem laudaverit. Satis graviter  
quidem sensi damnum, quod ex huius  
patroni morte tam subita non ego so-  
lus

A 2

lus

lus acceperam, sed tot etiam EIVS clien-  
 res et amici. Quin patriae toti, orbique  
 litterario fatum hoc inopinatum damno  
 fuit. Sensus tamen istos tristiores, acer-  
 bioresque dolores mirum in modum spes  
 tunc affulgens leniit, TE, VIR MAGNIFI-  
 CE AC SVMME VENERABILIS, in lo-  
 cum REHKOPFII citius e vivis erepti, suc-  
 cessurum. Nunc autem de tam laeta spe in  
 TE impleta patriae et mihi gratulor, nec  
 facere possum, ut animi laetitiam dolo-  
 rem istum subsecutam non palam signi-  
 ficem. Quid enim est, quin pieras et  
 pristina, quae TEcum mihi intercessit  
 coniunctio, jubeat? Habuisti me, quum  
 in vniuersitate litterarum Vitember-  
 genſi studia humanitatis doctrinasque  
 theologicas colerem, non solum erudi-  
 tionis ac virtutis TVAE aestimatorem et  
 admiratorem, sed in scholis quoque  
 theologicis auditorem assiduum. Nosti  
 etiam, quanti cum optimo quoque be-  
 nevolentiam TVAM fecerim et adhuc  
 mecum, ampliffimis TE honoribus or-  
 natum, gaudet. Ascendisti enim in lo-

locum, ubi singularis TVAE doctrinae, insignisque pietatis vis non dicam luculentius cognosci, sed latius se exferere, atque christianae, quae per Saxoniam floret, ecclesiae commoda augere possit.

Equidem gratulabundus TECUM in primis, et cum aliis viris sacrarum litterarum interpretandarum peritissimis *Specimen epistolae Pauli ad Philipenses versione latina, notis criticis ac philologicis illustrandae, communicare ausus sum.* Iam ante aliquot annos praestantissimam illam epistolam ad S. V. KOPPE exemplum, quod in epistola Iacobi POTTIUS Gottingensis haud infeliciter iam secutus erat, perpetua annotatione edere apud animum proposueram. Varias tamen res, in his potissimum bibliopolarum difficultas, libros latine scriptos sumtibus suis adiuvandi, ab hoc me proposito detinuerunt. Neque adeo dubium mihi est, haud paucos fore, qui hoc scripturae genus post tot interpretum studia operamque plane supervacaneum iudicent. Habemus, dicent, satis commentariorum in omnes V. et N. T. libros;

LIVAD

A 3

bro;

broſ; habemus epiftolarum Paulinarum verſiones latinæ, theodifcæ, anglicanæ, et alias; habemus notas criticæ, philologicæ, hiftoricæ cum cæteris. Pateor, et laudo hanc commentariorum, verſionum atque obſervationum copiam. Omnem tamen difficultatem remotam, nec quidquam ſuperſeſſe, cui rectius ac feliciter enarrando operam meam qualemcunque impendam, perſuadere mihi vix poſſum. Particulam certe inſequentem ſpeciminis loco non ſolum TVO, VIR MAGNIFICE AC SVMME VENERABILIS, iudicio probatiſſimo ſubiicere, ſed cum aliis etiam horum ſtudiorum exiſtimatoribus communicare auſus ſum. De TE autem confidentiſſime ſpero, fore, ut qualemcunque meum ſtudium æqui bonique conſulas, mihi que, ut facis, in poſterum faveas. Scripſi Liebenwerdæ, a. d. XXX. Aug. MDCCCLXXXVIII.

PAVLI



---

PAVLI EPISTOLA

AD

PHILIPPENSES.

---

PROLEGOMENA.

**P**hilippi fuerunt Macedoniae urbs nobilissima, in veteris Thraciae parte sita atque ob fontium copiam *νεγνιδες* appellata. Nomen *Philipporum* haec urbs Thessalonicae vicina a Philippo Macedone duxit, qui ipsam amplificarat et aduersus Thracum impetus munierat. Julius autem Caesar coloniam Romanam illuc deduxerat, quod ex nummo videre est, (apud *Vaillant*, *num. aen. Imper. Tom. I, p. 160.*) in quo verba leguntur: Col. Jul. Aug. Phil. Testis etiam est *Plinius*, hist. nat. III, n. qvi: „intus, ait, Philippi colonia”, et in primis *Lucas*, Act. Apost. XVI, 12. Cur autem hic Pauli comes et in nuntianda religione Christiana socius Philippos laudet *πρωτην της μεθοδος της Μακεδονιας πολιν*, l. l., minus clarum est. Paulus quidem Aemilius Macedoniae in quatuor regiones diuiserat, quarum primae annumerata est haec urbs,

A 4

neque

neque tamen caput fuit provinciae, quam quidem dignitatem sibi vendicavit Amphipolis, auctore *Livio*, XLV, 29: „capita regionum, ubi concilia fierent, primae regionis Amphipolin — fecit.“ *Peircius*, observante *Michaele III.* (*Einführung in die goerlischen Schriften des neuen Bundes*, tom. II, p. 1303. ed. noviss.) lectionem vulgarem *περωτην* mutavit temere in *περωτης*, et coniunxit cum voce *μεγιδος*, quam coniecturam quoque ab aliis factam *Grieshaebius* S. V. in N. T. edit. critica ad h. l. memoravit. Codices quidam, eodem monente, pro *περωτη* habent *κεφαλν*, quae lectio haud dubie orta est ex coniectura librariorum vocem *περωτην* interpretantium. Mihi quidem *περωτη* videtur esse una ex nobilissimis, nec opus est, ut hanc denominationem cum *Michaele III.* ex nummis illustremus, in quibus urbes inter se de principatu contenderint. Vid. I. I. Conf. etiam *Rosenmülleri* S. V. Schol. in N. T. Tom. III, p. 143. ed. tert.

Paulus igitur, legatus Jesu Christi, iter per Macedoniam faciens, huc etiam cum sociis *Timotheo*, *Silvano*, *Luca*, venerat, quorum ultimus diutius *Philippis* mansit. Apostolus hanc urbem, tum temporis clarissimam, luce Christianae doctrinae collustravit, coetusque evangelici fundamenta prima ipse iecit. Etenim aliquot dies cum in urbe commorati essent, ac Sabbaro ex urbe ad fluvium *Zygacten*, qui *Philippos* alluit, ambulassent, ubi *προσευχη*, i. e. oratorium s. precandi locus, erat: contigit, ut mulieres ibi convenientes Paulum commiresque doctrinam caelestem enarrantes diligenter audirent. In his erat *Lydia* quaedam ex *Thyatira* oppido

oppido oriunda, purpurarum venditrix, religiosa mulier, quae Pauli institutione, id quod singulare Dei erat beneficium, tam vehementer commovebatur, ut ipsa cum familia sua se religioni Christianae daret, et baptismi ritu solemniter initiata apostolum comitesque liberali hospitio exciperet. Quo facto iterum ad profeucham abeuntibus apostolo ac sociis ancilla occurrit fatidicam vim simulans, et multum lucri dominis adferens. Paulus igitur vi diviniore ornatus ancillam hac divinatione ementita prohibet; domini autem, quae sit privati, apostolo vehementer succensent, iratique ipsum et Silvanum comprehendunt, ad magistratus Romanos in forum trahunt, criminatione adiecta, hos homines genere Judaeos nova moliri. Itaque plebs undique concurrens in eos invehitur, magistratus autem infonres atque indemnos illos virgis caedi et in carcerem conici iubet. Iniustissima tamen haec actio, quam religionis Christianae praekonibus inimici intenderant, poenaeque, civibus Romanis indignissime dicta, divini Numinis providentia effecit, ut laetiora res Christiana Philippis incrementa caperet. Namque cum Paulus et Silvanus ligneis compedibus constricti in carcere media nocte preces facerent, carceris fundamenta terrae motu vehementi subita concussa, ianuae apertae, omnium vincula soluta sunt. Id postquam cognoverat commentariensis, s. carceris custos, divinam vim vincitorumque doctorum innocentiam laudavit, ipsisque in domum suam deductis cibos laetissimo animo ministravit, doctrinam Christianam cum tota familia professus, Act. App. XVI, 12 — fin. 1 Theff. II, 2.

A 5

Postea

Postea vero temporis coetus Christianus in hac urbe multis auctibus crevisse videtur. Revisit hos disciplinae Christianae addictos Philipporum incolas apostolus Epheso iterum in Macedoniam profectus, antequam Romae contineretur in vinculis, Act. Ap. XX.

De tempore autem, quo epistolam ad Philippenses prae ceteris sibi caros apostolus scripsisse videtur, ea ipsa conferri potest. Vincus quidem Romae tenebatur Paulus prima vice, quod ipsi circiter annum Chr. LXI et LXII accidit. *Oederus* tamen, id quod *Illustr. Michælis*, l. l. p. 1306 refert, argumentis satis levibus negavit hanc epistolam a Paulo capto Romae demum scriptam, opinatus, brevi postquam Philippenses religionem Christianam amplexi fuissent, apostolum ad eos litteras dedisse.

*Consilium* harum litterarum scribendarum duplex apostoli fuisse censemus, alterum, ut, se ab Epaphrodito beneficium accepisse, quo Philippenses ipsum ornassent, gratissimo animo testaretur; alterum, ut hos Christi cultores ad constantiam in vera religione profitenda adhortaretur, quoniam non minus Judaei, quam falsi doctores, legum Mosaicarum fautores nimii, eos vexabant, atque ad ritus Judaicos observandos compellebant. Epaphroditus igitur capto Paulo pecuniam, a Philippensibus collectam, tradiderat ad vitae praesidia comparanda. Cave, ne hunc Epaphroditum pro eodem habeas, qui in epistola ad Colassenses Epaphras dicitur. Probe enim hi duumviri distinguendi sunt, quorum ille non solum a Philippica

eccle.

ecclesia missus fuit, qui apostolo donum traderet, sed huic etiam officium in doctrina evangelica per Italiam propaganda praestitit; quo quidem munere fungendo gravissimum in morbum inciderat, mortisque periculum vix effugerat, Philipp. II, 25—30. Epaphras autem coetus Christiani, qui Colassis floruit, fundamenta prima iecit. Conf. Ill. *Michaëlis*, l. I. p. 1277, et 1303. Quum Epaphroditus convalesceret, rediit Philippus, epistolam Paulinam secum habens, quae non modo gratissimae mentis testis esset, sed apostoli quoque adhortationes paternas contineret, ne discordiis rem Christianam labefacerent, nec a rituum Judaicorum nimis tenacibus hominibus in devia se abduci sinerent.

Singulare hoc in tota epistola animadvertimus, quod apostolus sermone amico et leni utitur, gratiarum actionem cum moderata Philippensium laude coniungit, monita humanissimis verbis vestit, amorisque haud vulgaris documenta edit.

ΠΑΤΡΟΣ ΤΟΥ ΑΠΟΣΤΟΛΟΥ Η ΠΡΟΣ  
ΦΙΛΙΠΠΗΣΙΟΥΣ ΕΠΙΣΤΟΛΗ.

CAPUT I.

ARGUMENTVM.

**S**olemni salutatione suo et Timothei nomine, qui tum temporis etiam Romae erat, gratissimum animum significat, quo beneficos Philipporum ciues, qui Christo nomen dederant, omnium bonorum largitori in omni precatione commendat, v. I. — 5. Sperat eos ipsos in pen-

penfissima voluntate perfeveraturos — 7, virtutisque amore et studio se Christianos praestituros — 11. Deinde de laetis, quae res Christiana Romae ceperat, incrementis Philippenses certiores facit gaudio affectus, quod vincula sua et calamitates Christianae doctrinae amplificandae mirifice inferviant — 18, confusus, fore, ut et in posterum ad salutarem doctrinam latius propagandam multum conferre possit, quamvis mortis aetiorisque cum Christo coniunctionis desiderio flagret — 24. Cohortatur denique Philippenses, ut fidei virtutisque viam persequantur, et animi vitaeque integritate Christo digna dignitatem religionis Christianae ad adversariorum criminacionibus defendant, — 30.

- 1 Παυλος και Τιμοθεος, δουλοι Ιησου Χριστου, πασι τοις  
 αγιοις εν Χριστω Ιησου, τοις ουσιν εν Φιλιπποις, \* συν επι-  
 2 σκοποις και διακονοις. Χαρις υμιν και ειρηνη απο Θεου πα-  
 τρος ημων, και κυριου Ιησου Χριστου.
- 3 Ευχαριστω \* το Θεω μου επι πασι τη μενεια υμων.\*  
 4 Παντοτε εν παση δεησει μου υπερ παντων υμων, \* με-  
 5 τα χαρις την δεσπιν ποιουμενες \* Ετι τη κοινωνια υμων  
 εις το ευαγγελιον, απο πρωτης ημερας αχρι του νυν.  
 6 Πεποιθως αυτο τουτο, οτι ο ενωξωμενος εν υμιν ερ-  
 7 γου αγουδου, επιτελεσει αχρις ημερας Ιησου Χριστου  
 7 Καθως εστι δικαιον εμοι τουτο Φρονεν υπερ παντων  
 υμων, δια το εχειν με εν τη καρδια υμας, εν τε τοις δεσ-  
 8 μοις μου, και τη απολογια, και βεβαιωτοι τον ευαγγε-  
 λιου συγκοινωνους μου \* της χαριτος παντας υμας οντας
- 8 Μαρτυς γαρ μου εστι ο Θεος, υς επιποθω παντας  
 9 υμας εν σπλαγγχις Ιησου Χριστου, και τουτο προτευχομαι,  
 να η αγαπη υμων επι μαλλον και μαλλον περισσειη εν επι-  
 10 φρονη και παση αιδησει εν το δουμαζειν υμας τα δια-  
 11 φρονητα, να ητε ειδικωνεις και απροσκοποι εις ημεραν Χρι-  
 στου, Πεπληρωμενοι \* καρπον δικαιοσυνης τον δια Ιησου  
 Χριστου, εις δοξαν και επαυνον Θεου.

VER-

## VERSIO LATINA

**P**aulus ac Timotheus, ministri Iesu Christi, omnibus Christianae religionis cultoribus, qui Philippis sunt, in his potissimum episcopis atque diaconis, omnis generis salutem ac felicitatem a Deo, patre nostro, et domino Iesu Christo, precantur.

Quotiescunque vestri memoriam recolo, id quod in assiduis meis precibus, dum pro vobis omnibus precor, laetissimus facio: gratias Deo meo ago, quod salutarem doctrinam, ex quo ipsam professi estis, ad hunc usque diem beneficentia vestra auxistis et adjuvistis, certissime scis, fore, ut, qui ad hanc beneficentiam vos excitaverit, is etiam efficiat, ut in illa ipsa perpetuo perseveretis. Etenim eam de vobis omnibus spem jure optimo concepi, quum integerrimo me complecteremini amore, atque etiam, dum vincit hic teneor et justa causa defendenda doctrinam salutarem confirmo, in munere meo me omnis beneficiis vestris ornaretis. Per Deum autem testor, me tanto vos amore amplecti, quantum Iesus Christus nobis significavit, neque quidquam mihi magis in optatis esse, quam ut pietas vestra magis magisque (*augeatur et*) excellat accuratior religionis cognitione et intelligentia, ut (*iudicii acumine adiuti*) optimum quodque intelligatis, atque integri inculpatae semper reperiamini, religionisque Christianae sensibus imbuti pietatis studium operibus praeclarioribus demonstratis ad laudem gloriamque Dei.

## VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ CRITICÆ.

*Commate 1.* pro *συνεπιστοποις* codices quidam et patres graeci legunt una voce *συνεπιστοποις*, quod iam Grotius et post eum critici recentiores, nominatim Bengelius et Griesbachius, obseruarunt. Sed praeferenda videtur vulgaris lectio.

*Commate 3.* *Τὸ θεὸν μὲν.* Codd. quidam haud spernendi legunt *κρητὸν ἑμῶν*, videlicet D\*EFG apud Westfenium ac Griesbachium; nos tamen in textu et versione receptam retinimus lectionem, quae propria apostolo formula esse videtur; conf. Rom. I, 8.

*Comm. 4.* f. verba *παντοῦ* — *ποιούμενος*, editiones vulgares parenthesi includunt; sed minus recte, quum illa cum antecedentibus artius cohaereant. Nos igitur, Griesbachium secuti, in versione nostra verus 3. 4. 5. copulavimus artissimo nexu.

*Comm. 7.* pro *χαριτος* legunt *χαρις* Claromontanus graeco latinus, german. boerner. Vulg. Ambrosiastes, Pelag. Primaf. Sedul. Verum *χαριτος* veriore iudico lectionem, et *χαρις* irrepsisse ex comm. 4. videtur, quod iam Bengelius coniecit.

*Comm. 11.* Vulgares editiones habent *καρπῶν δικαιοσύνης τῶν*, pro qua lectione ex codicum probatissimorum auctoritate, probantibus etiam versionibus antiquis et patribus graecis nonnullis, quorum consensus apud nos multum valet, recipere in textum haud dabitavimus cum Griesbachio *καρπῶν* — *τῶν*, quae lectio, si verborum structuram spectes, bene convenit cum verbo *πεπληρωμένοι*, omisso *κατα*.

ANNO.



ANNOTATIONES PHILOLOGICAE,  
HISTORICAE ETC.

Paulus in salutatione solemnī epistolae praemissa Timotheum sibi iungit, quia carissimus hic socius aequae ac Silvanus apostolum in utroque itinere Philippos facto comitatus fuerat, notus ideo et carus Philippensibus, quibus etiam illius adventus iterum promittitur, II, 19. In utraque ad Thessalonicenses epistola, ad Colassenses, et ad Corinthios posteriori Paulus etiam sibi Timotheum adiunxit ecclesias salutans. Erat amicus Pauli tum temporis Romae. Δουλο: I. X.) In aliis epistolis, nominatim in epistola ad Romanos Paulus nomen apostoli sibi vindicat; sed hic se atque Timotheum δουλον nomine Philippis modestissime commendat. Neque enim opus erat, ut apostolicam dignitatem demonstraret, de qua quidem Philippenses nihil admodum dubitabant. Αγιος εν Χριστω Ιησου sunt in genere Christiani, qui religionis Christianae professione a Iudaeis et gentibus sececebantur. Neutiquam igitur respicitur ad fidem et pietatem. Deducenda est haec appellatio ex consuetudine Iudaeorum, qui **סידר** sanctos s. *separator* nominabant omnes verae religionis cultores. Germanice reddideris *die Religion-bekenner*, sive *die Bekenner des Christenthums*. Conf. Pl. L, 5.

Meminit Apostolus in inscriptione epistolae episcoporum et diaconorum coetus Christiani, qui Philippis erat;

ἡν ἐπισκοποις καὶ διακονοῖς, i. e. in his, sc. Christianis  
 omnibus, praecipue etiam episcopis et diaconis. Appa-  
 ret igitur, ecclesiam Christianam Philippis brevi tempore  
 multis auctibus crevisse, quum episcopos haberet plures  
 et diaconos. Apostolorum autem tempore episcopi in  
 ecclesia Christiana erant viri, qui curam earum rerum  
 habebant, quae ad ordinem salutemque coetus specta-  
 bant. Iuribus tamen ac dignitate praecipua non gaude-  
 bant. Neque etiam anteferebantur presbyteris, sed epis-  
 copi (Hebraeorum עֲבָדִים) et presbyteri iidem erant.  
 Seniores enim (ἡγήτορες) plerumque eiusmodi curam rerum  
 in ecclesia ordinandarum gerebant. Vid. *Theodoretus* in  
 commentario ad 1 Timoth. qui dicitur τούς, αὐτοὺς  
 ἐκαλοῦν ποτε πρεσβυτέρους καὶ ἐπισκοπούς. Consentit  
*Hieronymus* in ep. ad Tit. I, 5. Conferatur quoque  
*Claudius Salmastius*, qui nomine ficto Wallonis Messalini  
 de episcopis et presbyteris dissert. scripsit, ed. Amste-  
 lod. Nostra memoria *Danovius*, theologus Ienensis, in  
 disputatione peculiari de episcopis aetate apostolorum, lu-  
 culentissime ostendit, pari auctoritate episcopos ac pres-  
 byteros fuisse aetate apostolorum, nec quidquam discrimi-  
 nis exeunte seculo primo, id quod *Mosheimius* contem-  
 derat cum aliis theologis eruditione claris, locum habuisse.  
 Postea vero temporis ab altero ipso seculo episcopi a pres-  
 byteris distincti sunt, ut major illis dignitas atque aucto-  
 ritas tribueretur, nec tamen competere legam scriben-  
 darum potestas, vel iurisdictio. Et quamvis episcopi  
 eccle-

ecclesiae Romanae ceteris se praestare arbitrentur: initio tamen neque jurisdictionem nec legum lationem sibi arrogarunt. Jura igitur tum presbyterorum, tum coetus Christiani universi hoc etiam tempore salva manserunt, quod videre est ex epp. *Cypriani*, v. c. ep. 14 et 34 ed. *Bremensis*, l. 6 et 28 *Pamelianae*. Num *Epaphroditus* ipse episcopus Philippensium fuerit, incertum est. *Gregorius* quidem affirmat, sed argumentis parum idoneis. Ab apostolo *συνεργος* et *συνεργατικός* appellatur, in quo ne vestigium quidem muneris ac dignitatis episcopalis apparet. Quin *Chrysostomus* ad h. l. Epaphroditum hominem *ὁ σφραγισμένος*, non admodum clarum, nominat. Vid. *Zachariae paraphrastische Erklärung Paulinischer Briefe*. Diaconi et diaconissae munere fungebantur pauperum alendorum pecunia ab unoquoque coetu collecta. Recipiebant etiam hospites, et aegrotorum curam sibi demandatam habebant. Origo diaconorum legitur Act. Ap. VI, 1. seqq. Mature igitur presbyteris et episcopis adiuncti hi ministri reperiuntur, quorum non solum in ep. nostra, sed etiam I Tim. III et aliis locis mentio facta est. Conf. *Casp. Zieglerus de diaconis ac diaconissis veteris ecclesiae*.

*Comm. 2.* *Χαίρεις υμῶν καὶ εὐχαριστῶ* formula est salutandi solemnis, ab apostolo in omnibus fere epistolis iisdem verbis repetita, ac mere hebraica. Graeci enim, quod notissimum est, dicunt *χαίρειν καὶ εὐχαριστῶν*. *Χαίρεις*, hebr. *חַי* et *עִינַי*, hebr. *עֵינַי*, sunt plane synonyma, et

omnis generis felicitatem denotant. Conf. *Koppius* S. V. in annotationibus ad ep. ad Galatas, tom. I. N. T. p. 12. Audiendi itaque non sunt interpretes, qui discrimen *χαερος* et *εγνως* hic fingunt, in his *Calovius* bibl. illustr. ad h. l. et ad Rom. I, 7.

*Απο Θεο και πατρος* etc. In his verbis duplex constructio et sensus locum habet. Nam *και κυριου* etc. vel ad *απο* vel ad *πατρος* referri potest; prius tamen praefendum videtur propter similia loca. Conf. *Koppius* ad Rom. I, 7. ubi tota formula totidem verbis occurrit.

*Comm. 3.* — *ε ευχαριστω.* Rarior est verbi *ευχαριστω* apud Graecos in gratiarum actione usus; dicunt potius *χαερον εχειν*, *χαερον εδενειν*. Hellenistae autem hanc potestatem verbo subiecerunt. Vid. *Loesnerus* in *observ.* ad N. T. ex *Philone*, p. 242, et *Koppius* ad 2 Thess. I, 3. *Phrynichus* apud *Atticos* hanc vocem in usu fuisse negat. Si *Θεο μου* vera est lectio, interpretanda sunt verba *ευχαριστω*. Sic: *gratias ago Deo, qui singularis amoris documenta mihi dedit*: sin autem *κυριου ημων* legere malis, sensus hic erit: *gratias ago domino, sc. Iesu Christo, quem veneramur salutis nostrae auctorem ac fiatorem*.

*Επι παση τη μυεια* etc. Conf. 1 Thess. I, 2, ubi apostolus amorem et salutis curam diligentissimam Thessalonicensibus eisdem fere verbis confirmat. De parenthesi in editionibus vulgaribus obvia iam diximus in notis criticis *Δησους* Graecis est *deprecatio*, Hebr. *הַחַיִּים*, 1 *Timoth* II, 1. *Ephes* VI, 18, h. l. autem idem quod *προσευχη*. *Μετα χαερος*

*eos lacto animo*, quia apostolus optima quaeque de Philippensibus audierat. Aliter de Corinthiis et Galatis, quorum illi iusto lenius tractarant hominem incestum I Cor. V, 1. et partium studiosi, apostolum tristitia adfecerant, 2 Cor. II, 4; hi autem falsis doctoribus Iudaicos ritus ac ceremonias commendantibus obsequium praestiterant, Gal. I — III. *Επι τη κοινωνία* etc. Omnia hic et in sequentibus pendent a recta vocis *κοινωνία* interpretatione. Dupliciter enim interpretari possumus, vel de religionis Christianae professione, vel etiam de subsidiis communiter praestandis ad religionis Christianae praedicationem adiuvandam. Vtraque significatio usu loquendi firmatur. Priorem h. l. tuentur *Grotius, Ernesti, Doederlein, Seilerus*, alique interpretes non contemnendi; posteriorem Chrysostomus, Theophylactus et cum his bene multi interpretes recentioris aevi, nominatim *Sturmius in Handlexico*, p. 166; *Nicolai im neuen Testament mit einem germanen Inbalt etc.* praetulerunt. Quibus me hoc libentius accedere fateor, quo magis consentaneam eandem interpretationem consilio apostoli et orationi contextae esse arbitror. Eadem vocis potestas 2 Cor. VIII, 4. VIII, 13, Rom. XV, 26. Hebr. XIII, 16. locum habet, et *κοινωνία* apud Graecos quoque dicitur, qui plurimum ad communem utilitatem confert; *συγκοινωνει* etiam in hac ipsa epistola, III, 14. eandem vim habet. *Απο παροχης* — *υψ.* Laudat apostolus Philippensium alacritatem et constantiam in tribuendis beneficiis. Conf. III, 15, 16. *ex quo doctrina*

nam Christianam professi estis, tam liberali fuisit animo ad huc usque diem. Qui vero *κοινωνίαν* non de elemosynis, s. beneficiorum collatione ad Christianae religionis doctores, Paulum in primis, sustentandos, verum potius de Christianae religionis professione explicant, qua Philippiensibus cum apostolo intercedebat communio, non solum eis pro eo positum statuunt, sed *απο πατρως* — *τιν* non tam recte ad *κοινωνίαν*, quam *τιν* *δεσιν* *ποιουμενος* referunt.

*Comm. 6.* Ο *εναεξαμενος* sc. Θεος. *Εργον αγαθον* recte interpretatur *beneficentiam*, quae vocis potestas in aliis etiam N. T. locis deprehenditur. Illustris locus est Act. Ap. VIII, 36, ubi *εργα αγαθα* coniunguntur cum *ειρησυνουσις*. Dorcas erat *beneficentissima*. Conf. etiam Math. XXVI, 10. Alii quidem, in quibus eminet *Doederlein*, *Instit. theol. Christ. P. II. sect. 2. p. 119. ed. primae*, *εργον αγαθον* h. l. singulari potestate gaudere contendunt, ut sit *religio Christiana*; sed priori significati calculum adicimus nostrum. Apostolus Deo soli tribuit, quod Philippienses tam beneficos se praestarent; quae quidem perpetua est ejus consuetudo, ut auctori bonorum omnium omnia debeat, quae sunt praeclara facta. *Εν υμιν* *inter vos*; ne forte de animo intelligas. Simillimus commati 6. locus est 2 Cor. VIII, 6, ubi apostolus *χαρις* dicit, quod h. l. ipsi est *εργον αγαθον*. *Ημερα Ιησου Χε* varias habet in N. T. significationes. Sunt, qui h. l. de fine vitae cogitent, quo Christus cultores suae religionis ad se ex hac vita devocet. Quam interpretationem magis  
πιαμ,

piam, quam veram Nicolai l. l. secutus est. Scelerus *extremum diem* vertit, ad quem usque ecclesia Christiana duratura sit. Verum quidem est, *ημεραν* I. X. in N. T. saepius denotare solemnem diem, quem Deus praefinivit, ut Iesus Christus in maiestate divina conspicuus omnes homines iudicet, Act. Ap. XVII, 31. quamvis interpretes plerumque locos iusto plures huc colligant, qui rectius fortasse de Hierosolymorum everfione explicarentur, velut 2 Theff. II, 2 etc. Si dicendum est, quod mihi vero simillimum videatur, Paulus quidem intelligit tempus, quo Christus rediurus est remunerator et ultor omnium; sed hac ipsa forma loquendi, quam non ad vivum reserabimus, perseverantiam Philippensium in beneficentiae virtute eleganter descripsit.

*Comm. 7. Καθως, siquidem, etenim. Δικαιων εμοι — υμων, par est, aequum est, ut de vobis omnibus tam praeclaram spem concipiam ac sustineam;* respondet enim h. l. *δικαιων* hebr. *רש* et Act. Ap. III, 19. eadem vi occurrit. *Θεοθεν* h. l. de iudicio mentis, alias de animi affectu. *Δια το εχην* — *υμωσ, quoniam me semper in animo habuistis; integerrimo me complexi estis amore.*

*Εχην εν τη καρδια* referre solent ad apostolum, qui Philippenses semper in animo habuerit, eosque profectus sit amore tenerimo; alii tamen, qui verborum seriem diligentius consuluisse videntur, ad Philippenses pertinere rectius censent, quorum amorem factis conspicuum apostolus iustis laudibus ornat. *Απολογια και βιβλαιωσ, iudice*

dicit Grotio, per epexegetin dicta sunt. Συγκοινωνους μου της χάριτος etc. verimus: in munere meo me vos omnes beneficentia vestra ornastis; χάρις enim h. l. est munus apostolicum, quod Paulus alibi gratuitum Dei beneficium laudat. Obtinere eadem χάριτος vis in pluribus epistolarum Paul. locis, ut Rom. I, 5, ubi χάρις και αποστολη per Hendiadyn ponuntur, XII, 3. XV, 15. 2 Cor. XII, 9. Ephes. III, 2. Vid. Telleri Woerterbuch sub voce Gnade: Langii exegetische Versuche über die biblischen Worte und Redensarten, P. V. p. I. Doederlein Inst. theol. Chr. P. II, sect. 1, p. 675, 676. Sunt quidem, qui Grotium hoc loco sequantur, χάρις de calamitatibus explicantem, quas Paulus religionis Christianae causa pertulerit et in beneficiorum numero habuerit. Malim tamen retinere muneris apostolici notionem ceteris magis aptam.

Comm. 8. Per Deum autem vobis confirmo, f. testor. Γαθ h. l. connectit. Apostolus variis affirmandi ac iurandi utitur formulis: Θεος μαρτυς, 1 Thess. II, 5. μαρτυρεω τον θεον επικαλουμαι επι την εμπν ψυχην, 2 Cor. II, 23. ο θεος — ειδεν — οτι ου ψευδομαι, 2 Cor. XI, 31. μαρτυρομαι εν κρησι, Ephes. III, 17. μαρτυς μου εσιν ο θεος loco nostro, et Rom. I, 9. Hebraei utuntur formulis עד ידוהו 1 Sam. XII, 5. וביקר בניו אלהים עד ביני וביןך Genes. XXXI, 50. בשמים עד 1 Job. XVI, 19. Εμπροσθεν quidem est despectio alicuius flagrare, ut absentis etc. sed h. l. denotat ardentius amare. Glossae sacrae habent επιθυμω. Εν σπλαγγχνος I. X. tam tenero amore, quo Iesus Christus



nos complectitur. Ev similitudinem notat ex Hebr. ד; conf. Coloff. II, 6. Σπλαγγισα, Hebr. דבר vehementiorem amoris adfectum designant. Grotius non male vertit: *amo vos amore non illo communi, sed vere Christiano.* Babrätius transfult: *mit der ganzen Zaertlichkeit unsers Jesu.* Convenit haec loquendi forma cum τω εχεν εν ταις καρδιαις, quod supra vidimus.

Comm. 9. Ετι Vulgatus non legit. Πλεσσεωv etiam excellentiam rei innuit, quare vertimus: *magis magisque excellat*, sc. pietas vestra. Potest tamen etiam reddi: *maiora incrementa capere.* Εμπρωσις, rerum divinarum cognitio; alias etiam religionem ipsam notat. Αιδησις prudentia, intelligentia, alias συνεσις, επισημη. Glossa Hesychii habet νοησις. Hebr. נבדו vertunt αιδησις. Apostolus igitur coniunxit επισημων et αιδησις, ut accuratiori cognitione et intelligentia rerum divinarum pietatem firmitus niti, demonstraret. Conf. Ernesti ad gloss. sacr. Hesychii, sub voce αιδησις, p. 8, et Telleri Woeterbuch des N. T. sub voce Erfahrung.

Comm. 10. Δικμαζεν τα διαφεροντα, *diudicare, quid sit rectum, probum, omnibus temporibus conveniens, atque ideo optimum.* Vid. Grotius ad Rom. II, 28. Τα διαφεροντα sunt optima in suo genere, κεριστονα; διαφερον ενιην antecellere, praestare denotat. Conf. Suiceri thesaurus in voce διαφ. et Heinlii exercitatio ad Gal. II, 6. Elshervus tamen, quem secutus est Wolfus in curis philol. vertit: *de quibus lis est et controversia*, sc. utrum sint iusta,

24 PAVLI EPISTOLA AD PHILIP.

an iniusta. Vfus loquendi non repugnat, sed contexta oratio hic priorem explicationem postulat. *Εἰσακρῶνεις* Grotius de intelligentia explicat active: *ut clare omnia perspicuatis*, provocans ad locum parallelum 2 Pet. III, 1. ubi apostolus Christianorum excitat τῶν εἰσακρῶνει διακρῶν, i. e. *mentem intelligentem*. Alii tamen interpretes *animi integritatem* h. l. intelligunt, quam vocis vim nos quoque tenuimus in versione. *Εἰσακρῶνεις*, Hesych gloss *καθαρός*, proprie est *is*, in quo nihil est maculae, et cuius puritas solis splendore indicatur. Deinde etiam in genere *purus*, *integer*. Auctores graeci, *εἰσακρῶνει* et *καθαρόν* coniungunt. Vid. *Loefnerus*, *observ. ex Philone*, p. 350, et *Ernesii ad Hesychii gloss. sacr.* p. 92. Iungit itaque h. l. etiam apostolus *εἰσακρῶνει ἀποστολοῦν*, *inculpatum*, qui neminem vita, vel moribus offendit. Hesych. gloss. habet *εἰσακρῶνεισιν*. *Εἰς ἡμᾶς* I. X. *perpetuo*, vid. supra com. 6.

*Comm. II. Πνεύματι* h. l. vim habet perfectionis: *ut pietatis documenta edatis consummatoris*, s. ut virtutis studium praeclare factis demonstratis. *Δικαιοσύνη*, Hebr. *קדושה* h. l. est *pietas*, quae moribus et factis conspicua est, et religionis Christianae notitia ac fide in Iesum Christum nititur. Ne igitur hoc loco de iustitia, Christi morte sulta nobisque per fidem imputanda cogites, quae quidem in religionis institutione et scholis theologicis ex aliis S. S. locis, inprimis epistola Pauli ad Romanos, evincitur.

Pon 24 1067  
20




f

TA-70L

an 2 u. an 13 noch nicht aufgenommen

121





M

EPISTOLAE PAVLI  
AD  
PHILIPPENSES

EX  
RECENSIONE GRIESBACHII SVMMÆ  
VENERABILIS, NOVA VERSIONE LATINA  
ET ANNOTATIONE PERPETVA  
ILLVSTRANDÆ,  
SPECIMEN EDIDIT

VIRO  
MAGNIFICO AC SVMMÆ VENERABILI,  
CAROLO CHRISTIANO  
TITTMANNO,

THEOLOGIAE ET SACRARVM LITTERARVM DOCTORI,  
ET ADHVC RERVM SACRARVM IN VRBE ET DIOECESI  
VITEMBERGENSI ANTISTITI SVMMO, CONSISTORII, QVOD  
IBIDEM EST, ASSESSORI, THEOLOGIAE PROFESSORI  
PRIMARIO, ORDINIS THEOLOGICI SENIORI,

MVNERA  
ANTISTITIS REI PVBLICAE SACRAE IN DIOECESI DRES-  
DENSIS, PASTORIS AD S. CRVC. AED. SENATVS  
ECCLESIASTICI ET CONSISTORII SVPREMI  
ASSESSORIS CAPESSITA

GRATVLATVS

M. IOANNES GOTTFRIED AM ENDE,  
PASTOR ET SVPERINTENDENS APVD LIEBENWERDENSES.

TORGAVIAE,  
LITTERIS KVRZII

MCMXXIII

